

No. Q.54.
1768, 5%
17

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS:

*Vtrum filius sumtus studiorum
conferre teneatur*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL. CVRIAEC
IN PROVINCIA SUPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC
NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET ACADEMIAE
DECEMVIR.

IN AUDITORIO ICTORVM

D. VI APRIL. MDCCCLXVIII,

P U B L I C E D E P E N D E T.

CHRISTIANVS GOTTHILF FISCHERV

WITTIGSTHALIENSIS.

L I P S I A E
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

EXERCITATIO IURIDICA
QUAESTIONUM CONTRACTORUM
Naturae, iuris, factorum, causarum
et causarum causarum
IUSTITIAE IUSTICIORUM ORIGINIS ACTUOSITATIS
PRAECEPTOR
D. RERID. GOTTHEB. SOLITERO
COP. MR. F. CECIL. CATHERINE. MASTERS. A. C. G. D. C. L.
IN TUDWELLIANA LIBRARIA, 1710. 1710.
NON FACULTATI VENIENS, EXCEPTE DE DECIMARIO
IN APPOINTED TERMIS
AD ALIAS. 1710. 1710.
CHRISTIANUS GOTTHEB. SOLITERO



*Vtrum filius sumitus studiorum conferre
teneatur.*

§. I.

ifficilis est doctrina collationis, quae cum ob bonorum possessionem introducta fuit, moribus hodiernis tantum ex benigna interpretatione, ad successionem applicari potest. Constat enim inter omnes, olim sive discrimen inter liberos suos, et emancipatos, quos Praetor ex beneficio bonorum possessionis ad successionem admittebat; liberi nempe, sub patria potestate constituti, omnia acquirebant patri: emancipati vero pleno iure retinebant bona, quia substantia filii patri tantum, vi patriae potestatis, competit. Ne igitur heredibus suis ex bonorum possessione inferatur praeiudicium, quod Praetor aequitatis amicus, et iustitiae defensor, omni tempore improbabat, liberos emancipatos, ut propria bona in massam hereditatis, aequalitatis conseruandae gratia, inferrent, cogebat. Hinc optime fecit Cuiacius, qui collationem anti-

quam, confusionem bonorum priorum cum paternis vocat. Nec obstat, Cuiacium hanc notionem tantum de successione patris intellexisse, iure enim antiquissimo hoc erat dispositum; ast recentioribus temporibus Imperator Leo I. 17. C. de Collation. etiam ut in materna successione collatio obtineat, verbis expressis, ut et donatio propter nuptias, quam pater, vel mater, avus, vel avia, proavus, vel proavia, paternus, vel maternus dedit, conferantur, voluit. *Vnde de Stryk in usu mod. ad hunc titulum §. 5. et Lauterbach. §. 8.* et in spuriis qui matri succedunt, locum habere adfirmat.

§. II.

Abrogata antiqua successione descendentium ab intestato, et sublato discrimine inter filios, et emancipatos, quippe qui pari iure ad successionem admittuntur, inutilis equidem videtur tota, quae de collatione agit, materia: nihilominus tamen cum praesumamus, parentes aequaliter diligere liberos, filium vel filiam, quae a viuis parentibus aliquid accepit, ad conferendum, ne fratres vel sorores posterioris siant conditionis, adigimus, potissimum cum de parentum animo donandi non satis constet. Hanc ob causam de collatione, quatenus moribus hodiernis obtinet, et decisionem certam efficit, sequentem dare licebit definitionem. *Eft* scilicet *actus*, quo, ob praesumptionem aequalis amoris parentum erga liberos, liberi res, quas animo non donandi a viuis parentibus, quibus succedunt, acceperunt, et adhuc possident, aut dolo, aut culpa amiserunt, in massam hereditatis, conseruandae aequalitatis causa, inferunt.

§. III.

Ex hac itaque descriptione cum satis appareat, quae sit necessitas conferendi, et quae bona collationi subiecta videan-

videantur, omittamus reliqua, quae prolixiori stilo ad illustrandam materiam pertinent, praesertim, cum tantum sit animus quasdam quaestiones, quae saepiuscule litibus ansam praebent, diiudicandi, et decidendi. Prima igitur quaestio haec erit. Vtrum filius sumtus in studia, quae volente patre tractauit, erogatos, post obitum patris, in favorem reliquorum heredum conferre teneatur.

§. IV.

Adfirmativa sententia ex definitione, quam in §. II. de collatione dedimus, veritati conueniens esse videtur. Diximus nempe collationis necessitatem oriri ex praesumtione aequalis amoris parentum erga liberos, ex qua causa etiam inter ascendentes, penes quos haec praesumtio cessat, onus conferendi, nisi speciali lege sit introductum, minime obtinet. Cum igitur praesumtio tamdiu mereatur fidem, quamdiu nondum contrarium existet, non responda videtur decisio illorum, qui filium ad conferendos sumtus, si pater id expresse non prohibuerit, esse obligatum arbitrantur. Tali enim ratione impletur voluntas parentum, quam liberi ut sancte venerentur, pietas iubet, pariter et conseruantur iura coheredum qui, si coheres, non detractis sumtibus, aequales ex hereditate perciperet partes, haud exiguum sentient laesionem.

§. V.

Sed quamvis haec omnia probabilitatem efficiant, et dissentendi causam praebant, negatiuam tamen sententiam ut defendamus, analogia iuris pariter, et legum auctoritas suadet. Constat inter omnes, parentes libere disponere, et bona inaequaliter distribuere posse, dummodo legitima, quae ex legibus necessario est relinquenda, non patiatur

praeiudicium, nec conferenda sunt ea, quae parens animo donandi in unum ex liberis transferre voluit. Ait enim Iustinianus *l. 20. §. 1. C. de Collation.* illa, quae simplicem donationem meruit, ad collationem minime coarctanda est. Nec contrariatur adsertum *Diocletiani et Maximiani l. 13. C. d. t.* quippe quae lex non de simplici donatione sed ea, quae quoque in lege 20. collationem desiderat, est intelligenda conf. *Brunner de collation. bonor. c. 4. pag. 84. Sichard ad auth. ex testamento n. 9. 10. 11. 12. C. de Collat.* Donatio vero quamvis in regula, cum consistat in facto, probationem ab allegante desideret, interdum tamen, si negotium concernat parentes, et liberos, praesumi potest, cum ea, quae erogavit parens, pietatis causa, de propriis bonis dedisse a *l. 34 ff.* de neg. gest. dicatur. conf. *Malth. Col. P. 1. decif. 62. n. 24.* Id quod potissimum, quando studiorum causa sumtus fecit, obtinet, cum fauore studiorum, unde salus reipublicae, quam quilibet bonus ciuis promouere tenetur, augetur, alia quoque singulari iure introducta sint, et in dubio vbi- que pro studiis iudicandum.

§. VI.

Confirmatur haec nostra decisio auctoritate legis, ait nempe *Vlpianus l. 50. ff. sam. ercisc.* Quae pater filio emancipato, studiorum causa peregre agenti subministravit, si non credendi animo pater misse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus, in rationem portionis, quae ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari, aequitas non patiatur. Pertinet hoc pariter effatum *Imperatoris Alexandri l. un. C. de Peric. succff.* Parent. Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit, onus erogationis communie omnium heredum eius esse, Praeses prouinciae non ignorabit. Hanc ob rem *Vlpianus l. 1.*

I. I. §. 16. ff. de Collation. non solum filium a collatione eius, quod pater ad dignitatem consequendam dedit, penitus liberat, sed etiam, si adhuc debeatur, commune hoc esse heredum debitum, pronunciat. In easdem quoque partes abit praxis. Conf. Carpz. P. III. C. El. XI. def. 17. qui et nostram rationem, quod sc. animo donandi hoc fecisse praesumatur pater, non solum agnoscit, sed etiam prae*dic*ie*ri*s dicasteriorum probat.

§. VII.

Aliam quaestionem suppeditat sequens casus. Titius decedens, testamentum condit, et in eo liberos, titulo honorabili institutionis, heredes designat, et ut frater natu maior sumitus studiorum causa erogatos, in massam hereditatis conferat, expresse disponit. Ille vero collationem penitus denegat, et patrem has expensas non repetere, multo minus earum collationem iniungere posse, ad*firm*at: utrum coheredibus ius agendi cum effectu competat, et paternum iudicium valeat, lis oritur.

§. VIII.

Communis omnium sententia eo tendit, ut ad*firm*ent filium ad conferendum teneri, quatenus pater in testamento id expresse voluerit. Rationem huius ad*ser*ti partim ex dispositione paterna, partim ex legum auctoritate deducunt. Diximus nempe in antecedentibus, filium circa sumitus studiorum a collatione ideo esse immunem, quia praesumtio militaret, quod pater animo donandi eos dedisset. Quod si itaque pater per ultimam voluntatem iniungat filio collationem, necessario sequitur, sumitus studiorum donare noluisse, et eam ob causam, praesumtio, quae per contrarii probationem liquido eliditur, defendere filium non potest.

potest. Dum enim praesumimus, in dubio pro veritate rei pronunciamus, et certe existimamus, rem ita se habere; ast probato contrario, efficacia praesumptionis penitus cessat, nec distinctio Doctorum, quam inter praesumptionem iuris, iuris et de iure statuunt causam mutat, multominus veritati obstat. Praesidium sententiae inuenisse credunt in *lege 50. ff. fam. ercisc.* in qua I^{CTUS} Vlpianus exceptionem a regula constituit, et filium ad conferendas expensas studiorum causa erogatas, adigit, si comprobari possit, patrem eas animo credendi misisse: tali enim ratione existit mutuum, quod, cum a donatione sit alienum, restitutionem desiderat. Ex quo vero magis colligi, et ad liquidum deduci potest animus credendi, quam si pater expressis verbis iussit, ut quidquid filius in academia ab eo acceperit, in portionem hereditariam imputetur. Hinc Carpzouius cui alias in Praxi omnem tribuimus fidem P. III. C. El. XI. def. 20. sufficere putat specialem consignationem, nec opus esse, ut pater expressis verbis collationem iniungat, adeisse enim inquit tali ratione praesumptionem, quod pater animo credendi sumtus filio subministraverit. Quae ratio vero mihi parum sufficiens videtur, quia diligentes patres familias saepiuscule minutissimos etiam sumtus, ut singulis annis exactam acceptorum, et expensarum rationem inire queant, in liberos rationum accurate referre solent.

§. IX.

Quamuis vero haec speciem veritatis prae se ferre videantur, contraria tamen nobis sententia, quam tamen non singularis quedam opinio, sed analogia iuris defendit, videtur verior. Referuntur nempe sumtus studiorum ad alimenta, quae pater debet filio. *l. 4. ff. ubi Pup. educ. deb.* Hinc distinctio notanda inter alimenta, quae ex legato, et inter eq,
quae

quae ex sanguine praestantur, et in priori casu, id, quod erogatur studiorum causa, ad legatum non pertinet. Confirmat hanc decisionem *l. 1. C. de infant. expofit.* Imperator Alexander: *Si, inquit, ignorante te, partus ancillae, vel adscriptitiae tuae expofitus fit, repetere eum non prohiberis.* Sed restitutio eius (*si non a fure vindicaueris*) ita fiet, ut si qua in alendo eo, *vel forte ad discendum artificium iufte consumta fuerint restituas*, et in lege 6. §. 5. ff. de Carbon. Edit. dicitur *Non solum alimenta pupillo praestari debent, sed etiam in studia impendi debet modo facultatum*, conf. *l. 15. C. de neg. gest. Perez ad tit. C. de Coll. n. 12.* Iam vero alimenta, quae parentes, naturali pietate ducti, liberis dederunt, neutiquam conferuntur, etiam si pater collationem expresse iniunxerit, constituunt enim debitum legale, quod non ex voluntate parentum dependet, sed quod liberi a parentibus inuitis iure exigere possunt. Quam ob causam Imperator *l. 11. C. de Neg. gest.* ait, *Alimenta quidem, quae filio tuo praefitisti, tibi reddi, non iusta ratione postulas, cum id exigente materna pietate feceris.* Non tantum enim alimenta, sed caetera quoque onera liberorum patrem ab iudice cogi praebere, rescriptis constituitur. *l. 12. §. 5. ff. de agnos. et alend. liber.* Quod si itaque sumtus studiorum partem alimentorum efficiant, eorum vero restitutio, secundum *leg. 11. C. de Neg. gest.* a parentibus iusta ratione peti nequeat, liquido fluit, dispositionem ultimam patris, qua filio collationem harum expensarum iniunxit, esse inutilem, cum id, quod contra leges sit, effectum habere nequeat.

§. X.

Nec obstat *l. 50. ff. fam. ercif.* ad quam aduersarii ut suffulcent causam, prouocare solent. Non enim generaliter dicitur, filium ex voluntate patris ad conferendos sum-

B

tus

tus esse obligatum, sed verba, *si non credendi animo pater misit*, satis probant, *ICtum de singulari cogitasse casu*, quando nempe filius sumtus studiorum, non alimentorum nomine, sed ex alia causa a patre accepit: id quod contingit, si filius propria habeat bona, vnde viuere possit, nihilominus tamen ex iusta causa, quoniam forsitan usuras sortis exigere nequit, patrem adit, et ut certam summam, credendi animo, porrigit, ab eo petit. Hac ratione vero hi sumtus non efficiunt alimenta, sed ex contractu, cum patre inito, ad restitucionem obstringitur filius, quam reliqui liberi, si dividatur hereditas paterna, iure collationis, quae et per modum compensationis fieri potest, exigunt. Quae sententia, si perpendas, legem de filio tantum emancipato agere, non exiguum probabilitatis gradum attingit.

§. XI.

Alius casus qui decisionem meretur, cum in utramque partem argumenta fieri possint, erit hic: Titius decedit, reliquit filium et filias, ille studiorum causa in academia vivit; utrum sumtus studiorum, quamdiu liberi in communiione vivunt, ex communii hereditatis massa, erogari debant, vel, utrum filius, si dividatur hereditas, eos conferre teneatur, et eo nomine a coheredibus conueniri queat, quaestio oritur.

§. XII.

Negare non possum, non deficere rationes, quibus sententia negativa tam firma redditur, ut vix de hac re dubium remaneat. In antecedentibus diximus, sumtus studiorum sub alimentis comprehendendi, et ad eos praestandos de iure cogi posse patrem. Haec vero ratio cessat morte patris, nec fratres


tres ad alendum fratrem tenentur, deficit enim fundamen-
tum, officium sc̄. pietatis, unde erogatio alimentorum pro-
venit. Cui accedit, quod existente casu mortis, liberi fiunt
sui iuris, et proprio iure portionem hereditatis petunt, non
obstante communione, quippe quae per prouocationem ad
diuisionem statim dissolui potest. Cum igitur cuilibet
coheredi dominium pro sua parte in hereditate paterna
competat, nemo vero inuitus, vt liberalitatem exerceat,
adigi possit, omnibus numeris absoluta videtur sententia,
fratrem a coheredibus, vt sumtus studiorum fiant commu-
nes, iure exigere non posse.

§. XIII.

Ast si rem paulo penitus considerare, et tam ad favo-
rem studiorum, quam voluntatem patris respicere volue-
rimus, distinguendum mihi videtur, vtrum filius iam vi-
vente patre, tractauerit studia, vel post eius obitum in litte-
ras incumbere incipiāt. In posteriori casu statim confen-
tio illis, qui collationem sumtuum in studia erogatorum
suadent, et coheredibus ius agendi tribuunt, de priori ve-
ro contraria placet sententia. Pater nempe, ex cuius
consensu filius studiorum causa in academia vivit, id vo-
luisse praesumitur, vt filius ad finem perducat studia, et
vtile aliquando reipublicae euadat membrum. Viuente
itaque patre nata erat obligatio, quae cum plenarium ef-
fectum habere debeat, nec ad annos sit restricta, sed in
genere, quamdiu filius tractat studia, intelligenda, morte
patris nunquam potest dissolui, potius perinde est, siue pa-
ter hoc debitum exsoluerit, siue exsoluere debuerit: iure
enim filius tale a patre exigere poterat. Considerandi
hanc ob rem sunt sumtus studiorum, tanquam aes alienum,
quod a massa hereditatis est separandum, cum nulla detur he-
reditas

12 *Vtrum filius sumtus studiorum conferre teneatur.*

reditas, nisi deducto aere alieno, et coheredes, quos obligatio stringit, ad factum patris praestandum sunt obligati. Agit itaque filius, non tanquam heres patris, sed ut creditor, quem paterna defendit obligatio, et cui exinde ius conueniendi coheredes, ad conseruandam defuncti voluntatem competit. Nec obstat *l. 39. §. 3. ff. fam. ercisc.* ubi Scaeoula dicit *filium reipublicae debita, quae post mortem patris contraxit fratri suo pro parte hereditatis reputare non posse,* si non in omnibus socii essent, agit enim *ICtus de casu,* quando filius post obitum patris nouum debitum contraxit, quod vero in praesentiarum dici nequit, cum debitum iam, vivente adhuc patre, existat, et eius tantum exsolutio post mortem petatur.



Leipzig, Diss., 1768 R2

X 241 7957

Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

IO IVRIDICA

MI CONTINENS:

sumtus studiorum
teneatur

A M

ORDINIS AVCTORITATE

S I D E

LIEB ZOLLERO

ARTISBURG. CAPITVL. CVRIA
UDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC
ASSESS. ET ACADEMIAE
MVIR.

IO ICTORVM

MDCCCLXVIII.

D E F E N D E T.

FTHILF FISCHERVS

HALIENSIS.

S I A E

BREITKOPFIA.

No. 954.

1768, 5%.

17